

Liv. № 107.
V. u. H.
101.



Felicitati perpetuae

Paris lectissimi:

Viri Admodum Reverendi, Clarissimi,

Excellentissimisq;

Dn. GEORGII SEIDELII,

S.S. Theol. Licentiati, Pastoris ac

Superintendentis Annæbergensis longè
meritisimi, &c.

Itemq;

Virginis Pientissimæ ac Pudicissimæ,

ANNÆ CHRISTINÆ,

Viri Reverendi maxime, Magnifici, Ampliss. & Præcellentissimi,

DN. CHRISTOPHORI BULÆI,

S.S. Thol. Doctoris celeberrimi, Pastoris ac Su-

perintendentis in Electorali Dresdâ longè meritisimi, Proto-
synedrij ibidem Adsefforis Gravissimi, Scholarchæ

Primarij Honoratisimi, &c.


Filiæ natu maximæ dilectissimæ,

*Ipsis Solennibus nuptiarum, quicquid hujus est,
offert debita*

Amicorum ac Fautorum

pietas

Dresdæ d. 14. Septembr. Anno 1618.



¶SSSSS(○)SSSSS¶

ē Typographeo Montano.

Sedelij probitas, sacris exercita curis
Nota est, vel testis Lipsia nostra siet.
Bulai pietas, Sacris sapientiaq; hausta,
Oraclis, docto non minus orbe patet.
En petit Ille Hujus gnatam neonymbus, & optat
Ut consors thalami sit pia Sponsa sui.
Sic pietas pietati de pietate locatur,
Conveniunt animis quam benè cuncta suis.
Addo nibil; pie Christe, pio te carmine posco,
Sit tua cum sponsis gratia tota novis.

Ex Lipsia mittit
Abraham Teller/ SS. Th. D.
ad d. Thom. Pastor &
Confistorij Assessor.

Ad maximè Venerandum DN.

Sponsæ Genitorem.

Ne mulus mulum nobis niger occinat Olsus,
In laudes Natæ nolo equitare tuæ.
Proin præter pia vota nibil transmitto: Grabatus
Illius Hyblæo non nisi melle fluat.
MONS-ANNAE faveat Sponsæ, DRESDENSIA Sponso
BULAEI faveant robora Consilij.

ἐκ μυελῶν
M. GABRIEL SCHLEIFFENTAGIUS,
Ecclesiæ Freiberg. ad S. Petri
Ecclesiastes Primarius.

I. Geor-

L
Georgius Seidelius Licentiatus DEI.

Per Anagramma.

Vide, saucior! Diligentes JESUS liget!

Expositio.

Vnde, Viator, saucior! gemens ait
Sponsus, novellis ignibus, cupidine
Sub corde tanqvor entheā, Sociam thori
Vidui requiro blandulam, quæ tristibus
Posset mederi luctibus. Te collige
O Sponse clare, Cælicus DEI favor
Offert medelam saucio cordi & thoro;
Sponsam, puta, tenellulam, castissimam,
Quæ mutuis amplexibus cor anxium
Et mitigabit sedulò, atque mutuum
Amorem amore duplicabit mutuo.

Ut diligentes invicem JESUS liget
Ego compreco sereniore pectore.
Constans amor, Pax aurea, & longævior
Sit vita diligentibus Vobis piè.
Nunquam piis DEI deest clementia!

IL

Ιερὸν ἡ βολὴ.

Consilij dubius, Clarissime Sponse, fuiſti
Haec tenus, unde tibi Sponsa petenda siet
In thalamum viduum: Prudentem, JOVA supremus,
Consiliatricem, *nunc dedit ipſe tibi. *Βολούν.
Consilium feret hæc in amore, thoroq; domoq;
Is, quoq; Consilio, JOVA det Auxilium.

Votivâ mente & uibdyllos hæc in honorem
Clarissimi Domini Spousi adiiciebat

M. Balthasar Sveius, Ecclesiæ
Mariæbergensis Pastor.

Dum Superintendis Domui, PATRONE, Iehovæ;
Intendit domui Jova perinde tuæ.
Virginem ut exhibcas Cœlo, pro viribus instas;
Exhibita è Cœlis en Tibi Virgo venit!
Sic reor! atq; meum Feliciter accino! posthac
Per TE sint Cœlo gaudia, sintq; Thoro!

Annebergæ fundeb.

M. Mich Stempelius,
ibid. Archidiac.

Quam Divina offert optatam Virgula sortem,,
Gratulor ex animo, Vir Reverende, Tibi.
MARGARIN abripuit Letbum Tibi: Margarin illam,,
Quæ fuerat cordis gemma decora Tui:
Margarin abripuit Letbum Tibi: Margarin illam,,
Romani fuerat quæ sata stirpe Patris.
Flebilis ab nimium jactura! Sed, ô, Reverende
SEIDELI, frontem porrige, quæfo, tuam,,
Annam Christinam BULÆI Filiam amandam
Elegit sociam provida cura DEI.
Cœlibis hac poterit malatædia demere vitæ,
Estricemq; animi pellere mæsticiam,,
Hec fulcire, augere domum, hac incidere euras,
Auxiliatricem jungere docta manum,,
BULÆUM dixi! qui Consiliarius audit
Judicio in sacris, consilioq; potens,
SAXO, tuus: εσλην qui novit rebus agundis
Rectè aptare suam,: quod Tibi, SAXO, placet.
Annam Christinam, catus haud contempserit omen,,
Dixi, omen multo nomini inesse solet.

ANNAM

*ANNAM si vertas, tunc voce reciproca, habebis .
Manna, illam ambrosiam, deliciasq; poli ;
Fallor? an hæc etiam, que Sponso jungitur, Anna,
Cordis delicia ut manna futura Viro est.
CHRISTINAM dixi: quæ nomen & omen habente
Cum Patre CHRISTOPHORO in corde & in ore gerit
CHRISTUM, qui Sponsus Primarius, unica qui spes
Humani Generis, Lux, Via, Vita, Salus.
Felix, SEIDELI, talis chi dicitur Uxor,
Manna sit Anna, almus fit quoq; CHRISTUS amor
Annæ-Christinæ, quæ CHRISTI sagrat amore,
Tota etiam Sponsi sagrat amore sui:
Quem statuit Superintendentis honore coruscum,,
Monte sub Annæ SAXO Deusq; suo:
Atq; serenâ EPHORI concescit fulgere luce,,
De speculâ contra vimq; dolumq; sacrâ.
Sic CHRISTI Sponsus cum Sponsa in amore manebit ;
In CHRISTO duret sic quoq; vester Amor.
Conjugium Vestrum commendo glutine Amoris
CHRISTO; nil præter Symbolon addo meum:-
CONJUGIUM Jucundum, felix atq; Secundum,,
Fidum, Pacificum, prolificumq; PRECOR.*

γένοιτο.

M David Albinus, VVitteberga
Sax. P. Laur. Cæf. Pastor in Gelenau
per annos 42. Ephoriae Annæ-
montanae Senior.

EN iterum Præsul noster, gravitate verendus,
Optati reparat vincula sacra Tori.
Hactenus assiduus templi fuit ipse Colonus
GEOGIUS. Dans montis, Pastor, ne premat error oves.

A 3

Ex

Ex campo sacro monstrans qvæ semita cœli,
Ex mente in mentes semina dia ferens.
Sed viduus mœstus rediens ad limina tecti
 Non habuit Sociam, qvæ daret ipsa cibum..
Defuit hinc vitæ præsens medicina malorum,,
 Nec Thalami sociam vidi, adesse sibi.
Hinc doluit gemitu fortunam turturis instar,
 Æqvando solis noctibus usq; dies.
At DEUS, haud cupiens desertam ducere vitam,,
 Nunc felici aliam sidere substituit.
Faxit, ut hæc etiam insitat vestigia primæ,
 A latere & constans agglomerata siet.
Instar Bombycis tendant bona fila per ævum,,
 Et sint concordes, ceu pia corda decet,
Et videant natos, & qvi nascantur ab illis,
 Audiat ille pater, Mater & ipsa sonet.
Exoptat, Reverende Tibi, Neovilla sacerdos.
 Det nunc Omnipotens sint rata vota Deus.

F.

Simon Arnoldus P. Neudorf. Sen.

UT vulgare sonat, tandem post nubila Phœbus:
 Sic nunc contingit, Clare Patronæ, Tibi.
Mœstus eras viduus, mors Costæ nubila fecit,
 Nunc Phœbus ridet, Sponsa petita venit.
Rideat ut semper, depellat nubila cuncta.
 A thalamo vestro, faxit, ita opto, Deus.

M. Christianus Puetscher, Pastor
Ecclesiæ Dei in oppidulo metallico
Ehrenfridisdorff.

SCHE-

Serius transmissa.

Dicitur, & verè: nam comprobat exitus acta:
Si qua voles aptè nubere, nube pari.
Hoc tecum volvens, Clarissime Sponse, notaisti,
Dum socia bæc vitæ par, tibi lecta fuit:
Quæ pia Doctoris Bulæi castaque Nata est:
 Virginei excellens lausque decusque chori.
Spectetur genus, & pietas, spectentur & anni,
Virtus & mores: Singula conveniunt.
Larga FIDES ædes habitet, PAX limina servet,
 Condecorat mensam GRATIA, pedius AMOR.
Quatuor bæc vestris adsint fulcimina rebus,
Dum vos è vivis juserit ire Deus.

M. Jeremias Faber,
Diaconus Sen. Dresd.

Qyaternio Epigrammatum.

I.

Ad Reverendiss.

Dn. D. BULÆUM, SPONSÆ PARENTEM.

Gloria Theisophies, palmaris adorea Peithus,
BULÆE, & nostri Curio summe gregis.
Quid Tibi, quidvè Tuæ Natæ modò grater, amore
 Saucia SEIDELI dum subit illatorum?
Singula quæq; DEUS vobis dedit, ergò precabor,
 Ut finem ignorent commoda tanta suum,
Et semper validus vigeas, annosior ætas,
 Letæ salus, senium & sit juvenile Tibi.
Hoc addo, videas decimo post mense Nepotem
 Quò tu nomen Avi, Nymphaq; Matris alat

O vi-

O videoas plures! Et qui nascetur ab illis.
Felici vestram prosperitate domum?
Hoc ardens placeat votum, potiusve voluntas,
Olim ut eras, posthac sis in amore mei.
Quoniam latitiae reddes? quae jubila fundam?
Quotque DEO pro Te liba libabo precum?
Quin, quemcunq; Cliens Patrono debet honorem,
Hunc Tibi submissò semper amore referam.

II.

Ad Dn. SPONSUM, Virum pl. Reverendum.

S^EIDEI, Eusebii fidus, quo Concio castus
Inspectore sacri gaudet honora suo,
Quemq; sacrà Annæi nemorosa cacumina montis
In cathedrâ magnum Rhetora sèpe stupent,
Siccine detonuit tandem fortuna, Tibi q;
Funditur in gremium sors peramica tuum?
Sors peramica Tibi, quâ nil Tibi plenius optes,
Dum venit in thalamum Virgo petita tuum.
Nempe Tibi viduæ cautus non queris amorem.
Causas? quod viduâ est apta puella magis.
In viduo curvos vidua est opponere sensus,
Imperiumq; sibi sumere sueta toro.
Sedula Virgo sui pendebit ab ore mariti,
Et sataget mores ferre modesta novos.
Quam bene! Virgo datur magno fata Patre, priori
Omnia, ne dubites, experiere parem.
Quippe sedet pietas animo, et non inscia recti
Simplicitas, roseo castus in ore pudor.
Quæ mellita virum circum secus ambiet, ejus
Dulciculo ut possit sic recalere sinu.
Letâ igitur nunc sume manu, quam jungit ab alio
Vir præclare, Tibi perpetè sorte DEus,

Ille

Ille Deus, qui hominem latebrofa silentia solum
Rodere, subtristi mente bonum esse negat.
Immò nec ut viduo frigescant membra cubili
Defuncte poscunt ossa cinisq; tue.
Nos benè defunctis benè credimus esse, nec ipsi
Et nobis renuent vivere & esse benè.
Annus abit, fugit hora, diem rapit illa, vel omnis
Fellis acore annus, hora diesq; madet.
Ergo quis invideat viduum sibi melle mederi
Sponsule &, innumerum velle levare malum?
Gratulor ex animo! Deus ipse secundet amores
Et thalamum vestrum curet, honoret, amet:
Ut, cum nona suo Phæbe lustraverit orbem
Lumine, vagitus Te probet esse patrem.
Det pacem, longæ det vita tempora, Sponsa
Ut fiat Sponso cum seniore senex!

III.

Ad SPONSAM florentiss.

Inspicio Fastos, gamici meletematis aurā
Cum tibi, cum Sponso velificare volo.
Observoq; diem, quo Virgo-puerpera, Mater
Illa DEI atq; Hominis nata MARIA fuit.
O id in omen eat! Sis SPONSA puerpera ab anno
Illa dies iterum cùm celebranda venit,
Ut, quam Virginea dicunt Natalia Matris,
Sit SEIDELIOLI nominanda dies!

IV.

Votum pro Δυτερογάμῳ.

Auspiciis thalami dum vota secunda secundis
Vir Reverende subis cuncta secunda precor.
B *Cuncta*

Cuncta secunda precor, sint vota secunda secunda,
Ult nunquam inveniant tertia vota locum.
Votum hoc omne meum est, sit vis, sint robora voto
Firma faveante Deo, firma jubente Deo.

'EUXÓMEVΩ' scr.

M. Gottfr. Rüdinger, in arce
Pilnitz Hostervvitijq; Pastor.

Series transmissa,

Quod faustum ac felix jubeat Deus esse! Maritum,
BULÆA introeunt SEIDELIUSQUE torum.
Numinis hæc Patrisq; fuit Matrisque * voluntas, BULÆUS,
Hæc Neonymphorum prona cupidus fuit. BULÆUS voluntas.
Unam Vos carnem fecit Deus; Una voluntas
Sit, faciat, Vobis, unaq; prosperitas.
Ex carne hæc unâ fiat numerosa propago,
Ex Sponsis Patres, ex Patre fiat avus.
Corporis incolumem Vobis animæq; salutem,
Det Deus, atq; optat quæ bona quisq; bonus.
BULÆI genus omnigenis fit dotibus auctum;
Undique SEIDELII fit benedicta domus.

Ex officio & animo,
sed fessinanter scrib.

M. JOH. ANDREAS Lucius, Diac.

Instante Auctumno, quod non caret omine, latus,
SEIDELI, celebras festa sacrata tori.

Auctu-

Auctumnus dulces de palmite colligit uvas,
Sit Tua Sponsa etiam dulcis ut Uva Tibi.

Auctumnus pyra dat, maturat poma calore,
Natos & Natas, credito, Sponsa dabit.

Perpetuis fruere Auctumnis, auctusq; diebus
Augescas cunctis non sine fine bonis!

M. Christianus Lucius,
Ecclesiæ patriæ Diaconus.

SCHEDIASMATICUM BINIO,

qvorum prius

ad DN. PARENTEM Sponsæ honoratissimum,
in actu Sponsalium solenni abhinc missum,
& hoc appositum.

Est si causa Patri letandi, quando pudica,
Præclaro, CHRISTO dispice, Nata Viro
Nubit: nœ! BULÆE, Tibi, Fax alma Sionis,
Pieridumq; Decus, Doctor honore, tuum,
Undique jam pectus pertentant gaudia, postquam
SEIDELIO major nubere Nata cupit.

Quantus uterque! Senex vegeta sed mente Calebus,
Et Virgo Charitos ac Pietatis Honos,
In fædus coiere sacrum: qui, ut amore fidelis
Sunt castoq; pares, sic probitate pares,
Fortunæq; pares sunt conditione, statuq;,
Atque animi pariles integritate sui.

Quis neget ergo Torum hunc felicem confore, qui fit
Inter tam par par, tantoperè atq; pares?
Tu vero, venerande Parens, o magne Patrono,
Fibritus his paribus, quos Deus ipse parat,

*Collatare: Brevi plures Tibi forsan honores
In Natis venient, quod bene ego opto, tuis.*

Posterius verò
*ad plurimum Reverendum atque
Excellentissimum*
DN. SPONSUM.

Mirum est, SPONSE, procul quod migras Annori Dresdam,
Hic virginem constante jungens fædere.
Conjugij Tibi, quam commendat sponte pudoris
Integritas, & pulchritudinis decor.
Sed bene! id est factum ductu moderantis JOVÆ:
Hic glutinare nexu amoris mutui
Pectora bina sciens, voluit decorare vel ipsa
Tuum Eusebiā, SPONSE, cælitus torum.
Macte agè sorte tuā, cum SPONSĀ transige latus,
Vidente Amore Gratiāq; perpetim,
Ætatem, vel protensam per Nestoris annos,
Omni absq; morbo tutus, omni & noxiō.
Cetera prætero eventura: sed ubere dextrā
Abinde Vobis ista suggestat entheus
Schaddai, qui solus in omnibus omnia, fiat
Ut vestra, voveo, Tæda felix undique.

*Ita συγχαίρει ex merito, felicia
quæque καρδιόθεν precans*

M. Michaël Lembachius,
Pastor Eccles. Plaviensis prope Dresdam.

Non stolido, sed divino Connubia fiunt
Fato: namq; DEUS Tædarum Fautor & Autor
Strenuus existit, binos conjungit amantes,
Conciliat mentes, sincero firmat amore.

Pectora;

Pectora; Et Hic Vestras Tædas & cœpta secundet
Comprecor ac voveo, Numen rata singula faxit.

M. Johann Christoph Gensel/
Opiduli Vulturini Pastor.

Vir Reverende, dedit Tibi Lipsia Margarinante A. 1636.
Conjuge pro primâ, quam tulit atra dies. A. 1657
Annam-Christinam Tibi jungit Dreida secundam.

Sic fato currunt omnia, fata manent.

Margaris in cælis Pia gaudia summa capesit,
Annæ-Christina gaudia latus age.

Gaude, animogaude, cui Virtus jungitur, au^gstâ &
Dote sub amplexus Sponsula, ponse, venit.

Crescite legitimè juncti: procul inde faceant
Turbida: stet placidâ pace quieta domus.

Königwaldæ, 28. August. Anno 1658.

J. T. Hunenbergerus,
p. t. ibid. Pastor.

Natabus natis multi tristantur, iniquum:
Nam cita præ natis gaudia ferre solent
Natæ. BULÆUS nobis testatur id ipsum,
Qui modo de natâ gaudia prima sui
Conjugij carpit senior; mox quarta, secunda,
Tertia, Natarum gaudia quadra feret!

Idqvod ὁλοκύως Dn. Compatri suo
venerando precatur

M. Johann-Andreas Tilemann,
Pastor in Nemtau prope Wurzenam.

B 3

Ad

Ad
Reverendum admodum & Clarissimum
DN. SPONSUM.
GEORGIUS SEIDELIUS:
Eu! Sis, Georgi, Delius.

SI qva fides priscis est addicenda Pöetis,
Delius insigni non sine amore fuit.
Testis erit Clytie, testis pulcherrima Daphne,
Nunc etiam phœbo nomina blanda meo.
Nam Clytie prodit, prodit qvum lumina Titan.,
Atqve hic qvum condit, condit & illa caput.
Daphne etiam veluti per tot jam secula retrò,
Sic & amatoris pōst habitura comam est.
Ecqvid, SEIDELI, de Te, clarissime, dicam,
Dum Daphne thalamos ventilat alma tuos?
Delius eu! sis &, velutes, venerande Georgi;
Te Daphne exspectat, Te Clytieqve tua..

An eben denselbigen/
nach Anleitung des Zunahmens der
J. Braut.

Höt Buhlen buhlt sichs wol! Denn was ist doch das Lieben/
Das nur zum Schein geschicht? Ich rühme solch ein Hertz/
Das mich aufrichtig meint/ und nicht tritt hinderwerts/
Wenn mich mit tausend Angst des Creuzes Fluthen üben:
Ein Hertz/ das frölich ist/ und sich nicht mag betrüben/
Wenn ich zu Mühte bin. Das laß mihr sein ein Schmertz/
Wenn sich der Mann erfreut/ und treibet einen Schertz/
Der übel wird vermerkt von seiner eignen Lieben.
O dessen Art/ der eh sich frölich nicht erweist/
Als wenn der Blitz auff uns mit allem Unglück schmeist.

Wol

Wohl Euch/ Herr Bräutigam! Ihr geht zur Liebes-Schulen/
Da Herz zu Herz kommt/ und/ weils sonst nicht kan seyn/
Die Taube kommt doch nur mit ihres gleichen ein/
So werdet sagen Ihr Wohl buhlt sichs mit dem Buhlen!

Schrieb zur schuldigen Glückwünschung
in Püna am 10. des Herbstmonats im 16. e. Jahre

M. Tob. Petermann /
Käyserl. gefr. Poet/ und der
Schulen daselbst Rector.

A Lternante gradu redeunt post gaudia luctus,
Gaudia post luctus atq; iterum redeunt.
Hinc TIBI, SEIDELI, dulcem cum dira jugalem
Mors raperet, vehemens mæror oborius erat,
Mæror, lætitia iam succedente, recessit,
Quando aliam sociam jungis amore TIBI.
Dumq; igitur myrto commutans ipse cyprellum,
In nova conjugij fædera, SPONSE, tubis:
Æternum faveant precor his pia Numinis rædis,
Ætatem ne inter-luctus ijs veniat.

Michæl Zirold Sen & Reip.
Annæm. p. 1. Poliographus.

Q Vam vellem resonare melos ad Vora Secunda
Molle, Pater, vellem qvam meliore modo,
Ipsi dum Cantus duri sit reddita pauca,
Concinat & Spohlo Dresda vel ipsa melos:
Sed cum sit durus mihi Cantus in omnibus illis,
Olim qui facilis, factus, & exanimis.
Durum hoc est Melos mensurâ, mente sed æqvâ
Si mensurandum, molle bonumq; sailis:
Vincula qui sensit disrupta resarta Secunda,
Is vorvet hæc eadem Vincula Secunda Patri,

Vincula

Vincia secunda Patri post Jovam ad vota Secundo,
Si modò des votis pondera, Jova, meis.

II.

Mun Herr Licentiat/ und Vater unster Grantz/
Gzt habt ihr in der That nun völlige Licenz/
Nach so viel so allein geschlaffnen Wittwer-Nächten/
Sepaart nun so zu seyn/ nach zugelassenen Rechten/
Weil Gott so wunderlich Euch wieder gut gemacht/
Worauff noch Ihr/ noch ich/ noch kein Mensch hat gedacht.
Und also füget sich noch alles nach den Zeiten/
Zu seinem Ziel und Stich/ und seinen Nutzbarkeiten.

III.

Gleich wie sich Tag und Nacht an Stunden itzund gleicht/
Bleich do Ihr werthes Paar einander Hände reicht;
So hoff ich gleichfalls auch/ Ihr werdet Euch wol gleichen
Am Hertzens-Sinn/ und was sonst mehr pflegt einzuspeichen/
Den Stunden nach mags seyn/ auch nach den Jahren sonst/
So ungleich/ als es wil/ (ich bitte hier umb Kunst)
Ein paar Tagsstunden mehr/ ein paar Nachtstunden länger
Geschlaffen/ macht nicht viel/ und suchte mans gleich strenger/
Gibt man ein Seidel mehr der liebsten Bulin hin/
Es wird wol eingebracht mit wolvergleichtem Sinn.
Ich/ der Euch ungleich bin/ und viel Ungleichs erlitten/
Wil gleich wol gleiches Sinns mit meines gleichen bitten:
Dass solche Gleichheit sich/ auch zu ungleicher Zeit/
Ereignen mög an Euch/ mit Gott/ zur Frölichkeit/
Und ihr Bulao mögt zu Hertzen überreichen/
Eh wieder Herbst noch wird/ und Tag/ und Nacht sich gleichen/
Das euers Gleichen ist/ ein' auferwehlte Frucht/
Die Ihr wolgleiches Paar im Herbst itzt habt gesucht.

Hac Melotwoia votivâ Dn. suo Ephoro gratulari voluit

M. Martinus Huthius, Chemnic.
Pastor Grünstadensis.

ms(0)500

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

ans 85.33 digitalisiert + PPN: 32 096 7428

SLUB DRESDEN



3 0507205

150

